



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 5. S. Joannis variæ laudes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

sciens Mundum sui non immediatè esse capacem; præmisit magnum sui adventus præparatorem; qui corda Judæorum ad Christi receptionem disponeret. Dionys. Carthuf. hic.

Cùm audieris, quòd fuerit *missus à Deo*; nihil privatum, vel humanum, dicere putes, sed divina omnia. Et idcirco etiam Angelus dicitur: Angeli enim virtus est, nihil proprium dicere. Theophylactus in I. Joan.

§. V.

S. Joannis varia laudes.

PRæcellit cunctis, eminet universis, antecedit prophetas, supergreditur Patriarchas; & quisquis de muliere, inferior est Joanne. S. Ambr. l. 65. de Nat. S. Joan. B. Idem habet S. August. l. 64. in Nat. S. Joan.

Joannes scholâ virtutum, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, castitatis exemplum, poenitiæ via, peccatorum venia. -- Joannes major homine, par Angelis, Legis summa, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, Lucerna Mundi, Præcursor Judicis, Christi metator, Domini testis, totius medius Trinitatis. S. Chrysol. hom. 16. in Matth. 15.

Considerate Monachi dignitatem vestram: Joannes princeps vestri est dogmatis, ipse Monachus. Idem hom. de S. Joan. B.

Complementum est omnium Prophetarum. Sanct. Macarius hom. 28. de Sanct. Joan. B.

Veniat, veniat Præcursor Verbi, Sacerdotij speculum, sanctitatis exemplum, Evangelistarum princeps, clausula Prophetarum. S. Chrysol. l. 86.

Nascitur major homine, par Angelis, tuba coeli, Præco Christi, arcanum Patris, Filij nuntius, signifer superni Regis; peccatorum venia, Judæorum correctio, vocatio Gentium; & ut proprie dicam, Legis, & gratiæ, fibula. Id. l. 91.

Idem vocat S. Joannem: Regem sapientem, egregium Judicem, censorem morum &c. l. 173.

Charitatis liber, vitæ via, Martyrum decus, patientiæ fastigium, & poenitiæ propalator. Sanct. Laur. Just. l. in Nat. Sanct. Joan.

Archidux Novi Testamenti. S. Cyrill. Jerof. Catech. 10.

Quid existis videre in deserto? Etsi moretur in desertis; non est tamen arundo deserti, sed cedrus paradisi, columna coeli, gloria generis humani, miraculum Mundi. Guarricus l. 4. de eodem.

§. VI.

S. Joannis Prædicatio.

VOx clamantis. Matth. 3. 3. Animas credentium præparabat, in quibus ambulaturus erat Dominus; ut purus in vijs purissimis ambularet, dicens Levit. 26. 12. *habitabo in eis, & inambulabo; & ero Deus ip-*

sorum &c. S. Hier. in Matth. l. 1. c. 3. Ita legit S. Hieron.

Desolvit eum in carcere. Marci 6. 27. Cujus gratiâ Herodes non jussit Joannem in convivio intus occidi, & major illi fuisse voluptas? timebat, nè præfens vifus omnes suo aspectu mutaret. S. Chrysol. hom. 28. in 2. Cor. 12. Convivas ad sobrietatem traduceret vultus pietatem spirans; regem ad misericordiam inflecteret, ad revocandam capitis sententiam cogeret, extorqueret lacrymas, afflaret castitatis amorem. Arcones in l. 3. Disc. 13.

Venit in omnem regionem Jordanis prædicans. Luc. 3. 3. Cœlestia Præcursor dogmata audierat in deserto, quæ non reclusit pectore avarus fons; sed venit in omnem regionem Jordanis, alijs prædicans baptismum poenitiæ. Edocens, auditores verbi debere in concionatores converti, alijs proferentes, quæ audierunt. Ecolobar tr. Coll. Chr. Sect. 2. Obs. 1. Primus universam Ecclesiam catechizat. Guarricus l. 1. de eodem.

Vox clamantis. Joan. 1. 23. S. Joannes totus erat vox; ejus paupertas, austeritas, vita tota, erat vox; omnia clamabant, omnia sanctitatem, & virtutem, prædicabant. Diez conc. 3. D. 3. Adv.

Erat lucerna ardens, & lucens. Joan. 5. 35. Ardens in se, lucens alijs; ardens increpando, lucens instruendo. Hugo Card. in Gen. c. 28. Lucet Joannes tanto utique clarius, quanto amplius fervet; tanto verius, quanto minus appetit lucere. S. Bernardus l. 3. de verb. Il. Lucebat alijs, quia ardebat. S. Thom. Vill. de eodem. conc. 2.

§. VII.

S. Joannis virtutes.

Num. I.

Humilitas.

EGO vox clamantis. Joan. 1. 23. Cur Joannes de se non dicit, quòd sit filius Zachariæ; sed quòd sit vox? Poterat Joannes multis titulis dicere, quòd esset Zachariæ, Doctor, Præco, & Præcursor Domini: his tamen omisiss, de se tantum ait, quòd sit vox. I. vox est quidam quasi sonus, & veluti quidam aer, res tenuissima. Et hoc de se humilis spiritus Joannis testatur, 2. omnibus speciosis titulis prætermisiss, Joannes tantum de se ait: *ego sum vox*: ita ut neque Sacerdotalis dignitas, nec prophetalis auctoritas, nec Angelica sanctitas, in eo attendenda esset; sed hoc tantum, quòd sit Dei vox; seu, quòd Dei voce loquatur: nec enim in Doctore consideranda est persona, sed quòd vires Dei gerat. Sylveira hic.

Amicus sponsi, qui stat. Joan. 3. 29. Quare stat? quia non cadit. Quare non cadit? quia humilis est. Ille Præcursor Domini in solida petra stabat, dum ait: *non sum ego Christus*, non sum ego sponsus &c. V. Beda hic.